



Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo XVI. Antiqua Monumenta Ad Historiam Mediae Aetatis Illustrandam,
Nunquam Edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1601

Epistola XLIII. Pio patri Felici Episcopo. Alchvini Hvmilis Levita salutem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64144](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64144)

cro, vt duplicem habeas mercedem: vnā, tui ipsius; alteram, fratris tui. Vtinam, vt merear te videre cum lætitia illic, si hęc fieri non possit.

Diuina te gratia comitetur, & in omni bono florere faciat, vt multiplici bonorum operum fructu vitam merearis ingredi sempiternam.

EPISTOLA XLIIII.

Pio patri Felici Episcopo.

ALCVINI HVMILIS LEVITA

salutem.

ALiquorum fratrum relatione, nobis notissimus es, pietate, etsi non facie. quapropter præsumpsi per fiduciam charitatis, quæ est Christus, volens me ipsum tuis, tuorumq; fidelium, per te, sacrosanctis orationibus commendare: non meis meritis exigentibus, sed tuis bonis rumoribus instigantibus. Quapropter supplex obsecro, vt me ea charitate Saluatori nostro commendetis, qua ille omnes suos coniunxit. Charitas enim neminem spernit.

Per eum, & propter eum, qui venit in hunc mundum, peccatores saluos facere, & veniet ad iudicium, iustos coronare: vt tunc ego peccator, vel veniam per vestras orationes accipiam, vbi vos per DEI misericordiam, coronam accipiatis.

State fratres, & viriliter pugnate pro eo, qui fortiter pro vobis vincebat. Non quisquis cœperit, sed qui perseuerauerit vsque in finem, saluus erit. Et proficiscimini de die in diem, sicut sancti DEI, qui ibunt de virtute in virtutem.

Plura scripſiſſem vobis, ſi ſuperfluum non videretur, eos admonere de virtutibus, quos rogare debeo, vt incedant pro peccatis meis. Sed charitas, quæ neminem ſpernit, etiam ſuſtinet. Quid plus? Iterum, iterumq; obſecro vt me in fraterno amore accipiatis in communionem orationum veſtrarum: quatenus DEVS charitatis remunerator vos accipiat in æternam gloriam regni ſui. Valete, & vulte felices in Domino IESV fratres chariſſimi.

EPISTOLA XLIV.



COEPTIS literis tuis frater ſancte, lætus de ſalute tua, ſed triftis de tribulatione, & pſequentionibus quas te pati à gente tua, in illis tuis apicibus agnovi. Attamen, beatos eſſe Domino dicente, legimus, qui pſequentionem patiuntur propter iuſtitiã. quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Quapropter ſuadeo tibi, frater venerande, vt viriliter in fide integra, & deuotione inſatigabili, pro commiſſis tibi à Chriſto ouibus certare non ceſſes: ne mercenarius fugiens, & non paſtor firmus ab ipſo Domino, & Paſtore omnium deputeris.

Matth. 5.

*Ieann. 11.
Luc. 9.*

Aspice in eum, qui pro ouibus ſuis animam ſuam poſuit, qui omnibus generaliter præcipiens dixit: Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Cui gregem Chriſti abiturus relinquis? Ne hæc dico, quaſi me excuſando ad benefaciendum ſeruis DEI: ſed magis te adhortando, vt bona, quæ incepſiſti facere, ad finem æternæ ſalutis perducas. Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.

Matth. 10.

Ideirco ſcripſi ad OFFANVM regem, vt te adiuuaret, & defenderet ſanctam Eccleſiam ſecundum ſuam poteſtatem, quatenus tibi liceat DEO ſeruire, & talentum tuum multiplicare.